Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.

Wien, 1793 Seite 855

Quelle:
Copyright:

talmut que transtulit frater Theobaldus ſuprior ordinis predicatorum pariſienſis. Et finit: *quod fere ſubmerſerat XII. exploratores.* Confer, quae de hoc Tractatu diximus ad *Codd.* in *Indice* notatos.

IX. *fol.* 164. p. 2. *Tractatus Paſchalis de roma contra iudeos.* Praemittuntur ſequentia: *Paſchalis de roma hoc opuſculum diſputacionis iudeorum contra ſanctum anaſtaſium abbatem ad honorem venerabilis patriarche gradenſis heinrici dandoli fideliter ac deuote tranſtulit. Anno domini M°. C°. LVIII. Henricus* hic ſedit ab an. 1130. usque ad an. 1186. De *Paſchali* non habeo, quod dicam. *Anaſtaſii*, quem Abbatem S. *Euthymii* in *Palaeſtina Joh. Damaſceno* συγχρονον fuiſſe cenſent, opus mutilum e *Caniſii antiq. Lect.* T. III. in T. XIII. *Bibl. PP. Lugd.* ad p. 333. tranſiit, interprete *Franc. Turriano.* Quod in *Cod.* noſtro habetur non niſi ejus ἐπιτομὴν dicas, licet non parum etiam cum *graeca Diſputatione*, quae ſub. *Athanaſii Alex.* nomine *mſ.* in *Bibl. Aug.* extat et a *Lambecio* L. V. p. 135. indicatur, congruat. Et quid, ſi *Athanaſius* natus ex *Anaſtaſio*, aut vice verſa? Initium nobis: *Interrogauit Judeus. Cum preceperit deus ligna non eſſe adoranda. quare chriſtiani ea colitis et adoratis facientes ex illis cruces et ymagines. Chriſtianus dixit* &c. Finis: *baptizati ſunt chriſtum verum deum et hominem confitentes cui gloria* &c.

X. *fol.* 170. p. 2. *Incipit tractatus Ieronimi de incarnatione domini contra iudeos.* Et rurſus: *Incipiunt capitula primi libri de eterna et temporali chriſti natiuitate. quem edidit beatus ieronimus ad confutandam Judeorum ceterorumque impiorum perfidiam. et ad corrobandam fidem chriſtianam.* Initium: *Inpij iudei prophetis dei increduli* &c. In medio rubrica: *Huc usque de eterna chriſti nativitate dictum eſt. deinceps de temporali.* Finis: *et in templum proiecit et laqueo ſe ſuſpendit.* Mera textuum biblicorum congeries adjectis breviter expoſitionibus, quarum ut multae *Hieronymi* ſint, alias tamen ex aliis Patribus ignotus Compilator depromſit.

CCXLVII.

Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 238. f. peritiſſima manu ſcriptus, frontibusque et literis initialibus non inferiore penicillo deauratis et depictis juſſu et ſumtibus *Matthiae Corvini* Hung. Reg. continet I. *Commentaria Hieronymi ſuper Mattbaeum. Fol.* 1. p. 2. in ferto omnibus Florae Pomonaeque copiis divite charactere aureo quadrato legitur: *In hoc Volumine haec continentur. Divus Hieronymus in Matteum in Marcum in Eccleſiaſten item quaedam alia Opuſcula.* Ora *fol. ſeq.* ornata eſt Icone Servatoris, quatuor Evangeliſtarum et ipſius Regis Μασαγετε, tum Inſignibus illius et ſpeciatim Corvo, praefertque hunc titulum: *In-*